

Altera deinde, ut linguas Latinam & Græcam ex optimis melioris ævi scriptoribus adolescentes addiscant.

Quibuscum *tertiò* demum & liberalium quarundam artium compendia tempestivè conjungentur.

CAPUT I.

DE SACRIS STUDIIS.

PRæceptores muneris sui partem principem existimabunt, re- I.
ctam de Christianæ fidei capitibus sententiam, & pios ac san-
ctos mores, verbo pariter & exemplo discipulos suos docere. Id-
que & maturè, & industria, quantâ possunt, maximâ. Altissimè II.
enim in animum descendunt, & tenacissimè hærent, quæ pueris
instillantur, & ut nunc sunt mores, vix usquam, nisi in Scholis
tenella ætas ad talia eruditur. [S. 15]

In his primum illud esto, ut operæ Scholasticæ quotidie in- II.
choentur, finianturque fufis ad Deum precibus, vel cantato sacro
hymno, præsentè & attentionem faciente Præceptore. Quod ut
cum fructu fiat, in promptu pueris erit libellus selectorum hy-
mnorum Latinorum, quorum sententiam Magister per intervalla
explanabit, ut quid orent pueri aut cantent, ne nesciant. Preci-
bus peractis è cathedrâ recitabitur divinarum scripturarum peri-
copa Germanica, in inferioribus quidem clasibus è Proverbiis
Salomonis & Ecclesiastico, in superioribus ex integro sacra Scri-
pturæ codice.

Proximum huic erit, ut Catechismum Germanicum, una cum III.
explanatione B. Lutheri mandent memoriæ: quod ut certius præ-
stent, publicè coram Ecclesia diebus Dominicis capita illa fidei
per vices recitabunt. Qui probè hoc præstiterint, laudatione con-
firmabuntur, qui pravè, emendantur.

Quoniam autem Prophetarum & Apostolorum, quin ipsius IV.
Dei filii orationes & sententiæ divinitus nobis sunt servatæ, nefas
fuerit, has non in animo maturè scribere. De præcipuis itaque
fidei capitibus, de pietate & integritate vitæ, de peccatis & pœ-
nis peccatorum &c. in peculiarem libellum selecta sacri volumi-
nis perspicua & copiosa dicta, imò integras Servatoris & B. Pauli
conciones edificare, & certis horis in Schola reddere omnes qui
emendatè legere jam norunt, tenebuntur. Quæ eadem ut post
sumtum cibum ac sub noctem etiam do- [S. 16] mi ordine reci-
tent, monebuntur & pueri & parentes.

Provectioribus etiam Symbolum Nicenum, Constantinopoli- V.
tanum, Athanasianum, Anathematismi Ephesini, & expositio Chal-